

fiduciæ conceptione gaudeamus : sed nihilominus ad reverentiam timor sollicitat, ne nos inveniat tantus Pater indignos, degeneres vel ingratos. Cum dicimus, *Qui es in caelis*, si non desipimus, animum mordet tristitia, quod in nobis necdum inhabitet : sed quemadmodum exaltantur caeli a terra supra nos : sic a nobis nec modo peregrinemur, sed longe peregrinemur a Domino, donec simus in caelo : nihilominus etiam merito concupiscimus fieri cives caeli, optamus esse cœlibes caeli, ut perinde sit et in nobis, *Pater noster, qui es in caelis. Si quis enim diligit me*, inquit, *sermone meo servabit*, etc. usque *faciemus* (Joan. xiv, 23). Liqueat necdum mansionem habere qui faciunt, sed ut perficiant, ut inhabitent et permaneant merito concupiscimus et optamus. Super Jesum Spiritus mansit, et hoc signum quod acceperat qui audivit : *Super quem videris Spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat* (Joan. i, 33). Prima ergo petitio est, *Sanctificetur nomen tuum*. Sanctum equidem nomen Domini, et perpetua ejus sanctitas et perfecta. Sed optandum nobis est et orandum, ut sanctificetur nobis, in nobis, a nobis. ex nobis, per sanctitatis ejus cognitionem, participationem, devotam cordis et oris confessionem, et proximorum ad eadem tria exemplis simul et monitis exercitationem, Nobis enim quodam modo nomen sanctum Domini efficitur, dum cognoscitur; et in sua semper perfectissima permanens sanctitate, nobis tamen in sanctificatione tanto amplius proficit, quanto verius innotescit. Cujus nos invocatio dum sanctificat, sanctificatur in nobis; et crescit ipsius sanctitas, dum in nobis diffunditur et augetur. Sanctificatur a nobis, dum ejusdem nomini gloriam damus. Sanctificatur ex nobis, non per nos blasphematur. *Sic luceat lux vestra coram hominibus*, ut glorificetur Pater caelestis ex operibus vestris (Matth. v, 16). *Adveniat regnum tuum*. Ad nos veniat, ut a nobis credatur, speretur, ametur, percipiatur, dicente Rege: *Percipite regnum quod vobis paratum est* (Joan. xxv, 34). Via nempe trium dierum regni Dei ad nos, et ad ipsum, nostra est fides, spes, charitas : sed in quartam domum perveniet, quando venient benedicti. *Fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra*. Ad illud respicit quod praemittitur. *Qui es in caelis*, et duabus quoque prioribus adnectendum petitionibus, ut sanctificetur nomen Domini sicut in caelo et in terra, et similiter veniat regnum ejus. *Fiat in nobis voluntas tua*, ut nihil nisi post te, propter te, secun-

## S. BERNARDI CANONIZATIO

**1341** Non est inter Bernardi elogia ultimo loco reponendum, quod primus ex Ordine Cisterciensi in sanctorum album solemniter referri meruerit. Poscebant hoc beati Viri sanctitas singularis, immensi pro Ecclesia suscepti labores, caelestes denique in-

620  
dum te, per te velimus. Post te, ut in quibus fuerit tua certa voluntas, nostra etiam firma stabilitate permaneat. In quibus de tua ambigitur, merito etiam nostra sit suspensa, et parata sequi quocumque eam viderit inclinari. Sed quod voluit Pater ut Filius pateretur, voluit, Judas, voluerunt et Judaei pariter : et tamen neque illi profuit, neque illis. Velimus ergo, Domine, propter te, ut habeamus in omnibus zelum tuum : velimus etiam secundum te, ut non sit zelus absque scientia, sicut qui tuos persequebantur, tibi arbitrabantur obsequium se praestare. Denique quidquid volumus, per te velimus, ut tua fiat omnis nostra voluntas, ut opereris in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : panem necessitatis, doloris, laboris, vitae, et intellectus, ad hujus vitae sustentamentum, ad poenitentiae fructum, ad justitiae exercitium, ad delectamentum saporis. Super hoc quarto pane Daniel sanctus dicebat, quod in luctu poenitentiae constitutus panem desiderabilem non comedit (Dan x, 3). *Et dimitte nobis debita nostra* : quae quatuor modis contrahimus, debitam non reddentes corpori nostro castigationem, cordi custodiam, humanitatem hominibus, gloriam tibi. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* : qui in nos peccaverunt, dando damnnum, impediendo profectum, verbo vel opere irrogando injuriam, inferendo quamlibet corporis laesionem. *Et ne nos inducas in tentationem* : sed circumdet scuto veritas tua, ut non timeamus a timore nocturno, a sagitta volante, a negotio perambulante (Psal. xc, 5, 6), etc. Hac autem sunt pusillanimitas impatentia in adversis, imprudens in prosperis insolentia; ista enim ad noctem pertinent. Illa ad diem : hypoerisis, injusta simulatio, intemperans et effrenis impudentia in publicis notiorisque peccatis. Priora duo ad duplicem aciem, quam mundus producit, pertinent : posteriora ad Gog et Magog, tectum et detectum, quoque legimus in Prophetis (Ezech. xxix). *Sed libera nos a malo* : ab obligatione peccati, ab ultione temporali, a sententia damnationis in iudicio, a desperatione remedii in inferno.

*Ejusdem Gaufridi epistola ad Albinum, Albanensem episcopum et legatum, exstat apud Baronium ad annum 1186 : quae agit de quadam questione in Gallia tunc temporis excitata, « de substantia aquae, vino mista in calice, an et ipsa similiter cum eodem vino in sanguinem Domini convertatur : » cujus controversiae partem affirmantem tuetur Gaufridus*

signium miraculorum attestaciones quibus serius describere nefas esse videretur. Vix a sacro ipsius obitu anni decem effuxerant, cum in concilio Turonensi, anno 1163 celebrato, sedente et praesidente Alexandro III, ea res primum agitari coepit. At sum-

mus Pontifex, quamvis alioqui pro sua erga Bernardum veneratione libentissime annuisset, tantisper nihilominus differendam censuit ob eas rationes, quas ipse in litteris Canonizationis postea exposuit. « Cum enim, inquit, « eidem negotio, » scilicet de canonizando Bernardo, favorabili satius intendere affectu, supervenit multitudo et frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde, cum videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit, pro scandalo devitando, etiam in hoc differri quod oportebat pro tempore caeteris denegari. « Demum vero ipsemet Alexander, rogatu Gerardi abbatis et conventus Clarae-Vallensis, piorum votis filiorum facturus satis, Bernardum patrem sanctorum fastis ascribi voluit. Quo autem anno hoc contigerit, cum in litteris apostolicis diserte non exprimitur, non una est auctorum sententia, aliis ad annum 1164, ut Horstio et Henriquez, aliis vero ad annum 1166 referentibus; sed utriusque, ut videtur, contra temporis rationem, cum Gerardus Clarae-Vallensis abbas, cui Alexandri litterae inscribuntur, anno duntaxat 1172 praefecturam inierit. Melius omnium Ciaconius, cui ex Romanarum antiquitatum, litterarumque pontificiarum notitia tutior fides, reponit ad annum 1174: eumque secutus doctissimus Sirmundus in Notis ad Petrum Cellensem, et Manricus in Annalibus; quibus astipulatur Albericus in Chronico. Accedit omni exceptione majus testimonium Chronici Clarae-Vallensis apud Chiffletium Societatis Jesu, ab auctore anonymo, sed aequali conscripti. « Eodem anno, » inquit, scilicet 1174, « facta est dedicatio ecclesiae Clarae-Vallensis, et Canonizatio beati Bernardi, et elevatio ejus : ubi adfuit dominus Wicardus Lugdunensis archiepiscopus, abbas quondam Pontiniaci. Et sequenti anno in capitulo generali receperunt cantum beati Bernardi, et cantum de Trinitate. » Incidit ergo Bernardi sacra inauguratio in diem 18 mensis januarii, anni 1174, ab ejus obitu viginti annis exactis, mensibus quatuor et diebus viginti novem. Quod spectat ad elevationem, de qua mentio in citata auctoritate, in libro Sepulcrorum Clarae-Vallis facta esse dicitur ab ipso Guicardo quidem Lugdunensi, et Henrico abbate Clarae-Vallensi post aliquot annos a canonizatione : sed hoc de alia solemniori translatione intelligendum esse satis ipsa verba declarant, dum praedictum Henricum abbatem insinuant per Guicardum archiepiscopum Lugdunensem curasse « elevari sancti Bernardi corpus, et in tabernaculo marmoreo retro altare beatae Mariae virginis, sicut hodie apparet, religiose et honorifice collocari. » Henrici abbatis hac de re litterae, at sine chronologicis notis, inferius referuntur. Sed jam summi pontificis Alexandri III litteras, quibus inter caelites ab Ecclesia relatus ostenditur Bernardus, proferamus.

I.  
**1342** ALEXANDRI PAPE III LITTERAE APOSTOLICAE AD ECCLESIAM GALLICANAM, DE BEATO BERNARDO IN NUMERUM SANCTORUM RELATO, EJUSQUE FESTIVITATE DEINCEPS SOLEMNITER IN ECCLESIA CELEBRANDA.

Alexander episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus universis archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis abbatibus, aliisque Ecclesiarum praelatis in regno Franciae constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Contigit olim, dum essemus Parisius constituti, ut magni quidam ac venerabiles viri de canonizando sanctae recordationis Bernardo quondam Clarae-Vallensi abbate fecerent mentionem, optantes utique et piis nobis precibus suggerentes, ut in concilio, quod de proximo erat Turonis celebrandum, digno huic et laudabili voto celebrem daremus effectum. Cumque nos eidem negotio favorabili satius intenderemus affectu, supervenit multitudo et frequentia petitorum, qui in diversis provinciis rem similem postulabant. Unde, cum videremus non posse congruenter omnibus satisfieri, statutum fuit, pro scandalo devitando, etiam in hoc differri quod oportebat pro tempore caeteris denegari. Nuper autem ex instantia et devotione Clarae-Vallis fratrum, et aliarum sublimium personarum, eisdem apud nos precibus innovatis, reduximus ad memoriam nostram ejusdem beati Viri sanctam ac venerabilem vitam : qualiter ipse singularis gratiae praerogativa suffultus, non solum in se ipso sanctitate ac religione praefulserit, sed etiam in universa Ecclesia Dei fidei et doctrinae lumine radiavit. Fructum vero quem in domo Domini et verbo operatus est et exemplo, nullus fere terminus sanctae Christianitatis ignorat : cum usque ad exteras quoque et barbaras nationes sanctae religionis instituta transmiserit, atque monasteriorum foundationem extenderit, et infinitam multitudinem peccatorum per viae saecularis latitudinem incedentem, ad spiritualis vitae rectitudinem revocarit.

Specialiter autem sacrosanctam Romanam Ecclesiam, cui auctore Deo praesidemus, ita quondam sub gravis persecutionis turbine laborantem, tam vitae merito, quam datae sibi caelitus sapientiae studio sustentavit, ut digne quidem et nobis, et omnibus ejusdem Ecclesiae filiis in memoria habendus sit, et devotione perpetua venerandus. In afflictione vero corporis sui usque adeo sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus martyrum quoque eum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, et parcimonia vitae, tam longum constat duxisse martyrium. Quibus omnibus pia consideratione pensatis, et in concilio fratrum nostrorum expositis, confisi de misericordia Dei, cui perseveranter et fideliter militavit, necnon et de beatorum Petri et Pauli apostolorum, et ejusdem beatissimi Confessoris meritis praesumentes, cum apostolicae Sedis auctoritate catalogo sanctorum adscribi mandavimus, et commemorationis suae

festum decrevimus amodo publice celebrandum. Vos ergo, qui et ejusdem Sedis apostolicæ instituta suscipere, et Deum in sanctis suis consuevistis gloriosius honorare, sic memoriam Sancti hujus celebretis in terris, ut precibus ejus et meritis digna præmia recipiatis in caelis. Datum Anagninæ xv kalend. febr. (an. 1174).

## II.

## 1343 EJUSDEM ALEXANDRI PONTIFICIS APOSTOLICÆ LITTERÆ AD REGEM FRANCIE.

Alexander episcopus servus servorum Dei, illustri Francorum Regi Ludovico, salutem et apostolicam benedictionem.

Novit, ut credimus, regalis tuæ magnificentia Celstitudo, quod ea quæ cum honore Dei grata tibi acceptaque cognovimus, ad utilem semper effectum magno et volenti animo promovemus. Maxime autem hoc in illis operibus observamus, in quibus specialiter et honor Dei, et suorum gloria sanctorum declaratur: scientes quoque tibi fore gratissimum quidquid ad decorem Ecclesiæ, et superni Regis honorem auctoritate fuerit apostolica constitutum. Unde quoniam sanctæ recordationis Bernardus quondam abbas Claræ-Vallis, et Deo semper charus, et tam tibi, quam universo regno tuo gratus exstitit et acceptus, eum ad gloriam Dei et exaltationem Ecclesiæ ac totius regni tui, canonizandum decrevimus, et inter beatissimos Confessores festiva celebritate colendum, tam de misericordia Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus confisi meritis, quam suæ conversationis et sanctimonie non ignari. Monemus igitur christianissimæ Serenitatis tuæ regiam pietatem, ut hoc caelestis gratiæ donum, regno tuo te regnante collatum, late devotionis brachiis amplectaris, eique tam caelesti beatitudine perfruenti solita pietate devotus existas, quem pro sua venerabili sanctitate adhuc in tenebris positum diligebas. Claræ-Vallense vero monasterium quod fundavit, in quo etiam corpus ejus venerabile requiescit, ita te ob reverentiam ejus habere volumus commendatum, ut eum semper merearis habere patroum. Datum Anagninæ xv kalend. febr.

## III.

## EJUSDEM ALEXANDRI PONTIFICIS LITTERÆ APOSTOLICÆ AD OMNES ABBATES CISTERCIENSIS ORDINIS.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Cistercii, de Firmitate, et Pontigniaci, et Claræ-Vallis, Morimundi, atque universis abbatibus Cisterciensis Ordinis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quoties honesta nobis opportunitas exhibetur, ut fidei et devotioni, quam circa Ecclesiam Dei nostris temporibus habuistis, possimus in aliquo pro meritis respondere, opportunitatem ipsam libenter amplectimur; et in his maxime quæ specialem noseuntur redolere virtutem vestris occurrere, profectibus non moramur. Contigit autem hoc tempore, ut ver-

bum quod ab olim fuerat de beati Bernardi quondam Claræ-Vallis abbatis canonizatione propositum, et pro quorundam similia postulantium scandalo, a Turonensis concilii celebratione dilatatum, ad nostram reduceretur Deo volente memoriam; et faciente nobiscum signum in bonum, qui hoc pietatis opus nostris servavit manibus consummandum. Nos enim vitam et sanctitatem ejusdem beatissimi Confessoris recordatione sollicita memorantes, quomodo scilicet et in se ipso religionis et sanctimonie prærogativa magnificus, et universæ Ecclesiæ Dei, specialiter autem Ordini vestro fide et doctrina utilis exstiterit, et copiosissime fructuosus: confisi de misericordia Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, necnon de ejusdem sancti Confessoris meritis præsumentes, eum, fratrum nostrorum communicato consilio, auctoritate apostolicæ Sedis sanctorum catalogo duximus ascribendum, et diem depositionis ipsius in Ecclesia publice celebrandum. Unde quoniam hoc ita in gloriam et honorem summi Conditoris exuberat, ut in vestram quoque ædificationem consolationemque redundet; vestra potissimum interest omnipotenti Deo gratias agere, qui modernis temporibus virum perfectæ et prædicationis sanctitatis in vestro 1344 Ordine voluit suscitare. Vos igitur, munificentia donum speciali devotione suscipite, et Deum in sanctorum suorum glorificatione mirabilem, in ejus celebratione specialiter honorate. Datum Anagninæ xv kalend. febr.

## IV.

## EJUSDEM ALEXANDRI PONTIFICIS LITTERÆ APOSTOLICÆ AD CLARÆ-VALLENSIS.

Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Gerardo abbati, et universo conventui Claræ-Vallis salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut de religione et pietate, quam circa Deum geritis, nihil nobis restat ambiguum: sic exhibitæ circa robur devotionis et fidei clara semper est certitudine manifestum. Non enim poteratis, sed nec deinceps Deo auctore poteritis a gratia sanctitatis apparere degeneres, quos sancti Patris constat esse hæredes: cui et gratia spiritualis abundavit ad meritum, et operum efficacia non defuit ad exemplum. Scitis namque et pia veneratione recolitis, qualiter beatæ memoriæ Bernardus, cœnobii vestri primus abbas, præcipuusque fundator, Deo quidem pro virtute religionis acceptus, et Ecclesiæ Dei pro plenitudine devotionis et fidei exstiterit gratosus; ita ut merito deberetis haberi culpabiles, si imitationis et venerationis ipsius essetis in aliquo negligentes. Placuit ergo nobis, quod pro eo, tanquam pro pio Patre, sollicitudinem habuistis, et canonizationem ipsius voto laudabili postulastis. Nos quibus cordi semper est pro multis, fili abba, tuæ devotionis obsequiis, et totius domus vestræ studiis religiosi et piis, vestris jugiter obtemperare precibus, et profectibus aspirare, voto huic clementer annuimus, ut nostram circa vos et gratiam et benevolentiam comprobemus. Vita igitur

ejusdem beatissimi Confessoris ad memoriam revocata, quomodo scilicet fide et religione atque doctrina præserit, quantoque in Ecclesia Dei perspicuæ claritatis lumine radiarit: eum, fratrum nostrorum consilio habito, confisi de misericordia Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, atque de ejusdem Sancti meritis præsumentes, catalogo sanctorum duximus ascribendum, diemque depositionis ejus festivum de cætero et celebrem observandum. Unde, quia vestra potissimum interest, et ejus imitari vitam, et gloriam venerari, satagite in omnibus et studete ipsius sancti Patris et inhærere vestigiis, et festum excolere sanctitatis, ut cujus conversationis meruistis esse participes, digni habeamini ejusdem beatitudinis fore consortes. Datum Anagninæ xv kalend. febr.

*Non erant satis ad Bernardi memoriam et ingentia merita tantæ commendationis monumenta, nisi etiam supremus Ecclesiæ antistes ore proprio ejus Officium dictaret. Hoc prestitit Innocentius III, ad supplicationem Joannis, ex metropolita Lugdunensi monachi Claræ-Vallensis, simulque Raineri monachi Heisterbacensis Innocentio a Confessionibus, litteris ad Joannem datis anno 1201, quæ sic habent:*

JOANNI quondam Lugdunensi archiepiscopo.

Negare nolumus quod petere voluisti, cum ex eo tam nobis, quam tibi fructus æternæ retributionis accrescat. Petisti namque rogatus a fratribus, ut ad honorem beati Bernardi primi Claræ-Vallensis abbatis, quem apostolica Sedes sanctorum ascripserat catalogo venerandum; nos ipsi Collectam et alias orationes ore proprio dictarem, tum propter auctoritatem dictantis, tum propter styllum dictaminis cum majore devotione dicendas. Et ecce sicut potuimus, ad instantiam dilecti filii fratris Raineri, petitionem tuam curavimus exaudire.

## COLLECTA.

Perficere, quæsumus, Domine, pium in nobis sanctæ religionis affectum, et ad obtinendam tuæ gratiæ largitatem, beatus Bernardus abbas et doctor egregius suis apud te semper pro nobis meritis et precibus intercedat. Per Dominum, etc.

## SECRETA.

1345 Grata tibi sit, Deus, hujus oblatio Sacramenti quod in memoriam Dominicæ Passionis tuæ offerimus majestati.

## POSTCOMMUNIO.

Suum in nobis, omnipotens Deus, cibus quem sumpsimus operetur effectum, ut incorporet nos sibi es edentes. Qui tecum, etc.

Datum Laterani vi idus julii.

*Ubi vides sanctum Bernardum Doctoris nomine a summo Ecclesiæ Præsule fuisse insignitum; quod quidem ab ipso etiam Alexandro III in Missa canonizationis usurpatum testatur vetus codex Corbeiensis, in quo Sancti vita continetur: ubi præmissis Collectis, «Adesto supplicationibus nostris,» etc. de Communi; Epistola, hæc dicit Dominus: Ego misi ad vos mandatum istud,» etc. necnon Evangelio de Doctoribus, «Vos estis sal terræ,» hæc subjiciuntur: «Hæc Missa suprascripta de sancto Bernardo, a*

*domino papa Alexandro III in primis est celebrata. De his hæcenus.*

## V.

## TROMUNDI CLARÆ-VALLENSIS MONACHI EPISTOLA AD GERARDUM ABBATEM, DE CANONIZATIONE SANCTI BERNARDI.

Reverendo patri et domino Gerardo Claræ-Vallis abbati, frater Tromundus Claræ-Vallis dictus abbas (228), salutem et promptissimæ devotionis augmentum.

Quantum apud Deum meritum, quantumve apud homines habeat Paternitas vestra favorem, multipliciter declarat tam operis nostri exitus quam laboris: quandoquidem in utroque utrimque suffulti, nec in labore periculum, nec obstaculum, in opere sensimus formidatum. Cæterum, a die exitus de terra nostra, timoris et angustia nullus finis, donec et sollicitudo finita est operis, et exsecutio consummata laboris. Benedictus autem per omnia Deus, qui de omnibus nos eripuit, et cum felici executione negotii sanos et hilares ad propria revocavit. Et ecce nunc beatissimus confessor noster omnimoda dignus veneratione Bernardus, suis nimirum exigentibus meritis, vestraque laudabili studio pietatis, ad instantiam fratrum quos mecum pariter ad hoc destinastis, assistentibus etiam nobis amicis vestris, quibus ad promerendum favorem curiæ tam interius quam exterius abundatis, sanctorum Dei collegio non adjunctus est noviter, sed ascriptus: ut sicut inter sanctos sors illius exstitit ab utero matris suæ, ita cum eis titulum sanctitatis obtineat de beneficio matris Ecclesiæ. Erit deinceps nobis de eo et pro eo festum commune cum Angelis, ut non necesse sit jam amplius cantare ei cantus lugubres, quem credimus in supernis et angelicis choris cantus personare solemnes. Quod autem de sancto Malachia opus simile aggredi prætermisimus, consilio factum est principis sacerdotum, qui præmonuit nos in ipsa sermonis origine fieri posse de pluralitate fastidium, quod etiam in uno intentionis nostræ frustraret effectum. Vestrum est igitur gratanter amplecti quod in diebus vestris est collatum in uno, et patienter ferre quod differtur in altero; gratias agendo ei qui caelestibus luminari-bus tempora vicesque constituit, ut non idem sit ortus matutini et vespertini sideris, quamvis in utroque par eluceat gloria claritatis. Dominus abbas Casæ-Marii per se et per suos, imo et per sua, a principio usque in finem nobis astitit et subvenit. Dominus abbas Fossæ-Novæ, et episcopus Verulanus, cum requisiti fuerunt, favoris et consilii subsidia ministrarunt. Frater Franco, frater Petrus et frater Stephanus nobis et negotio in omnibus astiterunt. Frater Guido per multos labores suos et suorum et per non modicas fratris expensas viam nos fecit habere per devia, eo quod rectum iter curio-

(228) Legendum potius *monachus*; nam hic Tromundus monachus Claræ Vallensis plures epistolas scripsit nomine Henrici abbatis Claræ-Vallensis.

sus solito insidiantium malignitas obsidebat. Frater Rocchus non modice laboravit, nos et negotium ipsum fide et oratione sustentans. Ego, quia ex tenore litterarum vestrarum vestris sum præmonitus stipendiis militare, ita in omnibus Romanam moderatus sum parcitatem, ut prodigalitates Gallicas non sectarer. Det nobis Dominus omnibus in commune, ut memoria laboris hujus et operis gratiam vestram et Claræ-Vallensium fratrum nobis conservet in terris, et Dei misericordiam conferat in excelsis. Consulimus ad hoc ut Missa, quam dominus Papa cecinit in solemnitate sancti hujus non mutetur. Mittimus enim vobis easdem Collectas.

## VI.

HENRICI ABBATIS CLARÆ-VALLENSIS EPISTOLA AD STEPHANUM REGEM ANGLORUM DE ELEVATIONE CORPORIS S. BERNARDI, EJUSQUE DIGITO AD REGEM TRANSMISSO.

Celebratus est apud nos dies honorabilis et sollemnis, nova festivitate jucundus, et ampla jucunditate festivus, utpote quem nobis relatio sacratissimi corporis **1316** beati Bernardi celeberrimum reddidit, et lumine clariore perfudit. O quam volumus gaudiis illis, plus utique cœlestibus, quam terrenis, vestræ majestatis interesse præsentiam! quatenus et nobis de gloria principali decor tantæ festivitatis excresceret, et vobis de meritis illustrissimi Confessoris, miro quodam irriguo uberius bene-

## DE SANCTO BERNARDO ABBATE TESTIMONIA.

## I. — Summorum Pontificum.

Innocentius II, Epistola ad sanctum Bernardum: *Quam firma, ait, perseverantique constantia causam beati Petri, et sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, fervor tuæ religionis et discretionis suscepit defendendam, et te murum inexpugnabilem pro domo Dei opponens, amicos regum ac principum et aliarum tam ecclesiasticarum, quam sæcularium personarum ad catholicæ Ecclesiæ unitatem, et beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis et ratione munitis inducere laboraveris, magna quæ Ecclesiæ Dei et nobis provenit utilitas manifestat.*

Alexander III, in litteris Canonizationis ad Ecclesiam Gallicanam: *Beatus Bernardus, singularis gratiæ prærogativa suffultus, non solum in se ipso sanctitate ac religione præfulsit, sed etiam in universa Ecclesia Dei, fidei et doctrinæ lumine radiavit. Fructum vero quem in domo Domini et verbo operatus est et exemplo, nullus fere terminus sanctæ Christianitatis ignorat, cum usque ad exterius quoque et barbaras*

A dictionis, largitas emanaret. Verum quia id nobis ampla distantia remotissimæ regionis invidit, ad spirituale remedium vota transtulimus, fecimusque Deo propitio, quod vestra ibi, etsi præsentia defuit, memoria non vocavit. Solemniter etenim nomen vestrum cum suæ pietatis insignibus vestrorum, ut oportuit, et affectionibus fratrum, et cordibus impressimus filiorum: qui ampla illud devotione susceptum, aspectui quodam modo sancti Patris offerrent, et cœlestis aulae secretario præsentarent. Præterea ne absentia corporalis occasio regias apothecas inventi muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de thesauro reliquiarum ejus honorabilem portionem: indignum penitus reputantes, si pietas tanti principis, tantæ sanctitatis participio fraudaretur. Suscipite igitur digitum sacræ illius manus: quam pro eo quod vir justus, ab omni munere terreni quæstus excussit, Deus eam, ut dignum fuit, affluentissima copia cœlestis benedictionis implevit. Illius, inquam, manus, cujus tactus sanabat ægros, roborabat invalidos, firmabat homines, dæmones effugabat. Illius manus, quæ Claræ-Valli nostræ, cui vos dare tecta disponitis, primum injecit lapidem fundamentis. Fuit autem studii nostri diligenter in vasculo consignare quod mittitur, ne vel thesaurus ibi reconditus per frequentes apertiones injuriæ pateat, vel devotæ subreptionis instinctu, dolus aliquis piæ fraudis irrepat.

C nationes sanctæ religionis instituta transmiserit, Pius V, in Bulla *Ex innumeris*, etc. inter alia quæ suggerit media reformandi Ordinis Cisterciensis, lectionem Operum sancti Bernardi proponit his verbis: *Ubi sacra lectio juxta concilii Tridentini dispositionem haberi non poterit, præter eos libros, qui ad divini officii et chori usum necessarii sunt, saltem Biblia, et Catechismus ad parochos recens editus, item Opera sancti Bernardi, et si qui alii ad honestam monachorum occupationem poterunt, habeantur.*

Gregorius XIV meditabatur mane hora integra, inquit Gicarella in ejus Vita, *legens opera melliflui Bernardi; et si quos ex iis erueret mentis conceptus, eos diligenter adnotabat, concinneque scribebat.*

## II. — Cardinalium, et Ecclesiæ Doctorum.

Jacobus de Vitriaco Tusculanus episcopus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Sedisque apostolicæ legatus, lib. de Historia Occident. cap. 14, sic scribit: *Suscitavit Dominus eis a principio novellæ*

plantationis eorum agricolam peritum, prudentem et sanctum virum quem invenit Dominus secundum corsuum... sanctum videlicet Bernardum Claræ-Vallis abbatem, religionis probatissimam margaritam, lucernam Ordinis et stellam in firmamento Ecclesiæ Dei radiantem, qui non ab homine neque per hominem, sed sola Dei inspiratione præminentem sancturarum Scripturarum accepit intelligentiam, et quasi de ipso Dominici pectoris fonte potavit cœlestes aquas, quas diffunderet in plateis multis. Et quoniam potens fuit in opere et sermone, exemplo sanctæ et præminentis conversationis, et doctrina cœlestis prædicationis, sed et virtute miraculorum et mirabilium operum multis factus est ordo vite in vitam.

Sanctus Bonaventura sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et episcopus Albanensis, Ordinis Minorum in Meditationibus vitæ Christi, quas ubique Bernardi sententiis veluti gemmis insignivit, ita loquitur cap. 36: *Audisti verba pulcherrima altissimi contemplantis et orationis dulcedinem degustantis Bernardi. Rumines ea, si vis, ut sapiant tibi. Ideo autem libenter ipsius verba in hoc opusculo intersero, quia non solum spiritualia sunt et cor penetrantia, sed et decore plena, et ad Dei servitium excitantia. Ipse enim fuit eloquentissimus, et spiritu sapientiæ plenus, et sanctitate præclarus, quem te desidero imitari, et ipsius monita **1317** et verba opere exercere: propter quod sæpe tibi propono eundem.*

Sanctus Thomas Aquinas Serm. de sancto Bernardo, sic ait: *Fuit ergo os ejus vas pretiosum, os aureum, os gemmeum... Vino dulcedinis inebriavit totum mundum... Aurum fuit Bernardus per voluntatis sanctitatem; multitudo gemmarum, per morum honestatem et virtutum multipliciter; vas pretiosum, per virginitatis puritatem... Fuerunt autem in hoc novem gemmæ, de quibus dicitur Ezechielis cap. 28. Lapidem isti significant novem ordines Angelorum: quibus fuit dotatus Bernardus, quia in se habuit virtutes et officia omnium ordinum Angelorum, sicut dicitur in libro ubi scribuntur acta ejus.*

Augustinus Valerius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis, episcopus Veronensis, lib. de Rhet. Eccl. cap. 41: *In sancti Bernardi libris, inquit, inest admirabilis quædam suavitas, ita ut cum sancta animi voluptate semper legantur.*

Cæsar Baronius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis. tomo XII Annal., anno 1130, Bernardum Tubam cœlestem appellat: anno vero 1143, alterum Eliam. Sic autem de eo scribit anno 1153: *Bernardus, vir vere apostolicus, imo verus Apostolus missus a Deo, potens opere et sermone, illustrans ubique et in omnibus suum apostolatam sequentibus signis, ut plane nihil minus habuerit a magnis Apostolis... dicendus totius Ecclesiæ Catholicæ ornamentum simul ac fulcrum: Gallicanæ vero in primis Ecclesiæ prædicandus summum decus, summa gloria, summa felicitas. Cujus memoria felicissima in benedictione et sanctificatione ad morum informationem et disci-*

plinam, et in condemnationem hæreticorum in ancta Ecclesia jugiter perseveret.

Robertus Bellarminus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis lib. de Script. Eccl. ait: *Sanctus Bernardus abbas Claræ-Vallensis, vir plane apostolicus et non minus gloria miraculorum, quam sapientiæ splendore illustris. Item tomo II Controv. lib. IV, cap. 14: Idem beatus Bernardus pluribus miraculis claruit, quam ullus sanctorum, quorum vitæ scriptæ exstant.*

## III. — Episcoporum.

Hilbertus episcopus Cenomannensis, demum Turonensis archiepiscopus, Epist. 24, ad Bernardum scripta: *Maximum duco, inquit, atque habeo, quod mihi sacrarium familiaritatis aperuistis. In eo susceptus, multis et magnis expertus sum periculis quantum valeat deprecatio justis assidua. Et paulo post: Habeo igitur atque ago vestræ gratias religioni, cujus sinum, quasi reus aram, jam dudum complexus essem, si consultus Papa Pontificis munus amoliri, permisisset. Ille dum me remisit ad laborem, invidit gloriam: non imputet ei Dominus. Interim in umbra alarum tuarum sperabo, donec educar de lacu miseriæ et luto fecis. Vide ejusdem Epist. 72, quæ est 122 inter Epist. Bernardi.*

Otho Frisingensis episcopus, lib. 1 de Gest. Frid. cap. 34, ita habet: *Erat eo tempore in Gallia cænobii Claræ-Vallensis abbas Bernardus dictus, vita et moribus venerabilis, religionis ordine conspicuus, sapientiæ literarumque scientiæ præditus, signis et miraculis clarus. Hunc principes vocandum, ab eo quæ de hac re (n. expeditione transmarina) fieri oporteret, tanquam a divino oraculo consulendum decernunt. Et infra: Qui apud omnes Galliæ ac Germaniæ populos ut Propheta vel Apostolus habebatur.*

Petrus Cellensis abbas, postea Sancti-Remigii Remensis, demum episcopus Carnotensis, lib. VI, epist. ult. scribens contra Nicolaum quemdam Anglum (non vero notarium S. Bernardi, ut probatum est ad Epist. 284), qui sancti Doctoris pectori maculam post ejus mortem affingebat, quod beate Virginis Conceptionem impugnasset, **1318** sic in Bernardi laudes excurrit: *Quæ iniquiens, hujus Bernardi sanctitas! quæ religio! quæ meritum prærogativa! Nullus sum ego ad illius sancta præconia referenda. Vita ejus, fama ejus, opera, scripta, miracula, fides, spes, charitas, castitas, abstinencia, mortificatio demum in membris ejus, sermo, vultus, habitus et gestus ejus, et his similia, ipsa sunt quæ testimonium perhibent de eo.... Alumnus familiarissimus fuit Domine nostræ, cui non unam tantum basilicam, sed totius Ordinis Cisterciensis basilicas dedicavit, ad cujus laudem politissimos tractatus et secundos composuit. Si ergo potes tangere pupillam oculi Domine nostræ, scribe contra Bernardum suum, cui loquitur ipsa: Qui tangit te, quasi tangit pupillam oculi mei.*

Anselmus Havelbergensis in dialogo contra Græ-